



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

12 An liceat percipere corpus sine sanguine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

Quoniam digne communicat (de communicantibus enim digne debito tempore & loco nulla est dubitandi ratio) indigna vero communicatio, ut multi existimant, non sufficit ad explendum hoc præceptum: quod tenet Durandus in 2. distinctione 28. quaest. 4. Capreol. in 2. d. 41. qu. 1. articulo 3. quatenus dicunt requiri gratiam sanctificantem ad implendum hoc præceptum: qui tamen generaliter loquuntur de supernaturalibus præceptis sacramentorum; & forte intelligunt, esse necessariam gratiam, ut nullum præceptum in eorum sumptione violetur: quod longe aliud est. Adrian. vero in 4. materia de Confess. qu. vlt. generatim loquens de omni præcepto tam diuino, quam humano, censet impleri non posse per malum actum: & hoc potest esse vnum fundamentum huius sententiae: quod erit magis apparens, si restringatur ad vsum sacramentorum: cum enim ad cultum Dei ordinetur, non videtur præceptum eius posse impleri per sacrilegium vsum, cultui diuino contrarium: unde videtur maxime credibile, Ecclesiam non præcipere substantiam actus communionis sine hoc modo digne communicandi: quia sine illo neque ad salutem animæ, neque ad cultum Dei spectat; & tamen ab Ecclesia, non nisi sub hac ratione præcipitur. Tandem verba ipsius decreti vtrumque præcipere videntur: Suscipiens reuerenter, ad minus in Pascha, Eucharistiae sacramentum: nam vox illa (reuerenter) maxime intelligenda videtur de reuerentia (ut ita dicam) spirituali: qualis est, digna sumptionis: sicut quando in c. Dolentes, de celebratione Missarum, in præcepto recitandi horas dicitur (deuote recitentur) omnes intelligunt, per vocem illam (deuote) significari præcipue deuotionem substantialem orationis, quæ consistit in attentioe & integritate.

Qui nihilominus dicendum est, eum, qui voluntarie suscipit sacramentum Eucharistiae, etiam si indigne sumat, implere præceptum communicandi: etiam si alias peccet mortaliter per sacrilegium indignæ sumptionis. Ita tenet in specie Cordub. in Sum. Hisp. qu. 15. & in genere Soto, lib. 2. de Iustitia quaest. 3. artic. 10. Couar. in cap. Alma mater. 1. p. 5. qui alios referunt. Et probatur nam alia præcepta, tum sacramentorum, tum in alijs materijs, impleri possunt per actum peccaminosum, ut patet, si quis Missam audiat praua intentione vel ieiunet comedendo aliquid saluti contrarium, aut plus quam indigeat: non tamen contra formam Ecclesiasticæ ieiunij: item per susceptionem baptismi factam sine gratia sanctificante impletur præceptum, etiam diuinum, suscipiendi baptismum: & idem esset de sacramento Confirmationis, vel Ordinis, si de eis suscipiendi præcepta darentur, aut si quis voto se obligasset ad suscipiendum Ordinem, quamuis in peccato eos susceperet, votum impleret, quamuis alias peccaret contra reuerentiam debitam sacramento. Ratio autem sumitur ex principio generali, quod trahit D. Thom. 1. 2. qu. 101. artic. 9. quia lex præcipiens actum præcipit substantiam eius, non autem modum, nisi modus sit essentialis actui secundum se, vel prout sub legem cadit: quomodo attentio est de essentia orationis: & formalis integritas de essentia confessionis: & talis forma abstinentiæ, de ratione ieiunij: & dilectio super omnia est intrinsecus modus charitatis DEI: at vero suscipere Eucharistiam cum dispositione debita, non est modus essentialis sacramentali communioni vti sic: nam, licet aliquis indigne communicet, tamen reuera sacramentaliter communicat, dummodo voluntarie & scienter sacramentum sumat. Quod ideo addo, quia si aliquis casu comedit hostiam consecratam, cogitans esse communem panem, illa sumptio non esset satis ad implendum præceptum: quia voluntas sumendi sacramentum, est de essentia sacramentalis sumptionis. hæc autem est, quæ ab Ecclesia præcipitur: non autem sumptio etiam spiritualis: quia hæc pertinet potius ad effectum sacramenti, qui conse-

Franc. Suarez. Tom. 3.

quitur actum præcepti, quam ad ipsam actum sumenti, qui præcipitur: & quamuis hic effectus pendeat aliquo modo ex actu ipsius hominis, tamen ille actus est mere interior, & non est de intrinseca ratione ipsius sumptionis sacramenti, prout actus humanus est: & ideo non comprehenditur sub præcepto ipsius. Neque etiam talis actus est expressus verbis huius legis: nam illa particula (reuerenter) non satis est ad iudicandam hanc specialem obligationem: tunc quia, cum sit res valde difficilis, debuisset clarius exprimi. Unde probabilis est, hanc particulam non esse additam ad aliquid specialiter præcipiendum, sed tantum ad exprimendum actum cum conditione sibi debita ex natura sua: reuertitur etiam, quia illa particula satis posset explicari de reuerentia exteriori, de qua potest Ecclesia iudicare, vel de reuerentia intrinseca, quæ consistit in recognitione sanctitatis huius sacramenti, & voluntate recipiendi illud, ut rem sacram & diuinam. Dices, si is, qui indigne communicat, mortaliter in eo peccat, quid interest dicere, quod impleat quasi materialiter huiusmodi præceptum? Respondetur primo, ne duo peccata committat, vnum confessionis, & alterum omissionis: & quoad hoc omnia dicta procedunt, tam de præcepto diuino, quam de Ecclesiastico. Secundo, ne penas, vel censuras Ecclesiasticas incurrat, etiam si contra huius præcepti transgressores latae sint.

Vltimo vero circa hoc præceptum Ecclesiasticum est annotandum, iure communi nullam poenam, seu censuram ipso iure incurrendam, latam esse contra huius præcepti transgressores, ut constat ex dicto ca. Omnis vtriusque sexus: sed solum præcipitur, ut huiusmodi transgressores ab ingressu Ecclesiae arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura, quæ poenæ, donec imponantur, non incuruntur: imponi autem debent, non solum aduersus eos, qui vtrumque, præceptum ibi positum confessionis & communionis violant, sed etiam, si hoc solum transgrediantur: quia lex contra omnes loquitur, qui vtrumque præceptum non implent: tamen, quia regulariter loquendo, nullus transgreditur hoc communionis præceptum, nisi prius transgrediatur præceptum confessionis: ideo communiter censetur poenæ latae contra eos, qui tempore debito non continentur: & ideo de eis tractari latius solet in materia de confessione. Solent autem in singulis Episcopatibus esse circa hoc speciales leges synodales: solent etiam ipso facto excommunicari, qui post octo, vel quindecim dies, in ea transgressione perseverant, de quibus nihil aliud occurrit dicendum, quam in singulis Episcopatibus proprias leges & consuetudines esse obseruandas. Contra indigne autem communicantes, nulla est poena posita: vel quia de hoc etiam nulla est specialis prohibitio Ecclesiastica, eo quod satis sit ipso naturali iure prohibitum, vel quia regulariter hæc indignitas ex interiori pendet dispositione, de qua Ecclesia nil iudicat: quod si aliquando exterius de ea constaret, præ ratione scandalis & delicti esset à pastoribus Ecclesiae punienda.

ARTICVLVS XII.

Vtrum liceat sumere corpus Christi sine sanguine.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur, quod non liceat sumere corpus Christi sine sanguine. Dicit enim Gelas. Papa, & habetur de consecrat. distinct. 2. Conperi. Infr. q. 82. ar. 1. mus, quod quidam, sumpta tantummodo corporis sacri & calicis portione, à calice sacri cruoris abstinent: qui proculdubio, quoniam nescio, qua superstitione docentur astringi, v. comparantur. aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Non ergo licet sumere corpus CHRISTI sine sanguine.

Bbbb 3 a. Pra.

2. Præterea; Ad perfectionem huius sacramenti concurrat & manducatio corporis & potatio sanguinis, ut supra habitum est. * Si ergo sumatur corpus sine sanguine, erit sacramentum imperfectum, quod ad sacrilegium pertinere videtur. Vnde idem Gelasius * subdit: Quia diuisio vnus eiusdemq; mystice sine grandi sacrilegio provenire non potest.

3. Præterea; Hoc sacramentum celebratur in memoriam Dominicæ passionis (ut supra dictum est) & sumitur pro animæ salute. Sed passio Christi magis exprimitur in sanguine quam in corpore; sanguis etiam pro salute animæ offertur, ut supra habitum est. * Potius ergo esset abstinentium à sumptione corporis, quam à sumptione sanguinis. Ergo accedentes ad hoc sacramentum, non debent sumere corpus Christi sine eius sanguine.

Sed contra est; multarum Ecclesiarum usus, in quibus populo communicanti datur corpus Christi sumendum, non autem sanguis.

Respondeo dicendum, quod circa usum huius sacramenti duo possunt considerari: Vnū ex parte ipsius sacramenti, aliud ex parte sumentium. Ex parte quidem ipsius sacramenti conuenit, quod vtrumq; sumatur: scilicet, & corpus & sanguis; quia in vtroq; consistit perfectio sacramenti. Et ideo, quia ad Sacerdotem pertinet, hoc sacramentum consecrare & perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine. Ex parte autem sumentium requiritur summa reuerentia, & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad iniuriam tanti mysterij. Quod præcipue posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidem, si incaute sumeretur, de facili posset effundi. Et quia creuit multitudo populi Christi a vi, in qua continentur senes, & iuvenes, & parvuli: quorum quidam non sunt tanta discretionis, ut cautelam debitam circa usum huius sacramenti adhibeant, ideo prouide in quibusdam Ecclesijs obseruatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum à Sacerdote sumatur.

Ad primum ergo dicendum, quod Gelasius loquitur, quantum ad Sacerdotes, qui, sicut totum consecrant sacramentum, ita etiam toti communicare debent. Ut enim legitur in Concilio Toletano, * Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans participare esse dignoscitur?

Ad secundum dicendum, quod perfectio huius sacramenti non est in usu fidelium, sed in consecratione materiae. Et ideo nihil derogat perfectioni huius sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo Sacerdos consecrans sumat vtrumque.

Ad tertium dicendum, quod representatio Dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua nō debet corpus sine sanguine consecrari. Potest autem à populo corpus sine sanguine sumi. Nec inde sequitur aliquid detrimētum, quia Sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit: & sub vtraq; specie totus Christus continentur, ut supra habitum est.

COMMENTARIVS.

D Thomæ conclusio.

Distinguit D. Thomas de sacerdotibus & laicis, & de prioribus dicit, nullo modo debere sumere corpus sine sanguine, quod formaliter intelligendum est de Sacerdotibus, ut Sacerdotes sunt, id est, confidentibus, & sacrificantibus, & ita procedit ratio D. Thom. scilicet, quia ad Sacerdotem pertinet, hoc sacramentum perficere; non potest autem perfici sine eaintegritate, quam sacramentum secundum se possulat. De qua conclusione, quia ad materiam de sacrificio spectat, infra dicemus in disputationibus de sacrificio, & nonnulla supra attigimus, tractando de materia remota huius sacramenti, de necessitateque vtriusque partis eius, de laicis Dicitur Thomas solum dicit propter cautelam & reuerentiam sacramenti, in quibusdam Ecclesijs dari laicis corpus sine sanguine: quam consuetudinem sentit esse rationabilem, & laudabilem: nam, licet considerando tantam ex parte sacramenti, perfectionem eius, vtraq; potius species sumenda esset, tamen considerando ex parte sumentium, reuerentiam & cautelam, quam adhibere debent, merito communis plebs vnica specie corporis contenta est. Quæ res longiore postulat disputationem, in qua graues difficultates, quas D. Thomas in argumentis tangit, expediemus.

dabilem: nam, licet considerando tantam ex parte sacramenti, perfectionem eius, vtraq; potius species sumenda esset, tamen considerando ex parte sumentium, reuerentiam & cautelam, quam adhibere debent, merito communis plebs vnica specie corporis contenta est. Quæ res longiore postulat disputationem, in qua graues difficultates, quas D. Thomas in argumentis tangit, expediemus.

DISPV TATIO LXXI.

De præcepto communicandi sub vna vel duabus speciebus.



Quæ hæcenus de præcepto communicandi diximus, communia sunt, siue in vna, siue in duplici specie communicatio facienda sit: superest ergo exponendum, quid in hoc sit prohibendum, quid velleat; quid denique magis expediat: simulq; de iure diuino, & Ecclesiastico dicam.

SECTIO I.

Vtrum per se malum ac prohibitum sit in vna tantum specie communicare.

DE communionem sub vtraq; specie non est, quod quætionem moueamus, nam stando in solo iure diuino & naturali, certum est non esse laicis prohibitam, nec esse per se malum. Quod, & de iure ecclesiastico & euidēs etiam, suppositis principijs fidei de institutione & veritate huius sacramenti. Primum horum fati probat antiquus Ecclesiæ usus: solebat enim Christi anus populus frequenter sub vtraque specie communicare, ut constat ex Iustino, apologia 2. pro Christianis, & Hieron. Sophonia 3. & refertur in cap. Sacerdotes. 1. quaest. 1. & dialog. 2. contra Pelag. ex Chryl. homil. 18. in 2. ad Corinth. vbi inter alia dicitur: in participatione Eucharistiæ, quoad vtramque speciem, non esse iure diuino inter Sacerdotem & laicum differentiationem constitutam, quod intelligendum est, quoad hoc, ut vtrique liceat: non vero quoad hoc, ut vtrique sit æquè necessarium: de quo infra dicemus. Idem sumitur ex Ambrosio, lib. de ijs, qui inuitantur, c. 9. & Theodoretus, lib. 5. Histo. ca. 16. refert, eundem Ambrosium Imperatori Theodosio dixisse: Quæ ad dacia poculum pretiosi sanguinis ore tuo participabis? & plura in sequentibus referemus. Secundum vero patet, quia, supposita institutione, vtriusque speciei sumptio est actio sacra & sacramentalis, & potest fieri sine vlla irreuerentia, & indecentia, ergo actio illa, neq; ex obiecto, neq; ex circumstantijs, habet in se in se malitiam: neq; etiam ostendit potest scriptum aut traditum aliquod diuinum ius, in quo aliqua ex his speciebus sit laicis prohibita. De iure autem Ecclesiastico quid dicendum sit, in sectione 3. dicemus.

Difficultas ergo proposita est, an è contrario liceat laicis in vna sola specie communicare, ita ut hoc nec per se malum sit, nec iure diuino prohibeatur: (nam de Ecclesiastico, ut dixi, nunc non agimus) & idem est quaerere, an non solum liceat, sed etiam necessarium sit: quoties communicatur, vtramque speciem sumere. Ratio autem dubitandi est, quam testigat hic D. Thomas arg. 2. quia vtraq; species est de integritate & perfectione huius sacramenti: ergo non licet vnā sine altera sumere. Respondet D. Thomas perfectionem huius sacramenti non consistere in se, sed in consecratione materiae; & ideo non esse contra perfectionem huius sacramenti, quod in vna tantum specie à laicis sumatur. Sed hoc non videtur satisfacere, quia non solum debet reuerentia sacramenti, ut integrum fiat, sed etiam vtrumque

Bas. Pap.

regum sumatur, & non mutilum. Vnde Gelas. Papa in c. Comperimus, de Consecr. d. 2. Quidam (inquit) sumpta tantum corporis Christi portione a calice facti cruoris abstinent, qui proculdubio aut integra sacramenta suscipiant, aut ab integris arceatur, quia diuisio vnus eiusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio prouenire non potest. Leo etiam Papa serm. 4. Quadrag. Manichaeos reprehendit, quod panem sumerent & calice abstinere: & idem propositum dixit August. apud Algerum, lib. 2. de hoc myt. c. 3. & apud Bedam, i. ad Cor. 10. Nec carnem sine sanguine, nec sanguinem sine carne iure comunicari: & fortasse hanc ob causam olim praecipiebatur dari aegrotis, q calicem bibere non poterant, corpus sanguine incinctum, vt colligitur ex Prospero, in dimid. rempor. c. 6 & aliqui ad hoc citant Conc. IV. Carth. c. 76. quia ibi dicitur. Infundatur ori eius Eucharistia. Sed hoc nihil probant, quia haec verba optime possunt de corpore solo verificari.

Com. Carth. IV.

Secundum argumentum fumi potest ex speciali Christi praepcepto, in illis verbis contento: Hoc facite quotiescunque sumitis: in quibus verbis diximus supra contineri praepceptum, tam respectu Sacerdotum de consecrando, sumendo, & dispensando hoc sacramentum, quam respectu laicorum, de participando eodem mysterio: ergo, etiam ibi praepceptum est omnibus seruare ritum, quem Christus & Apostoli seruauerunt: sicut ergo ipsi in vtraque specie sumperunt, ita omnibus praepceptum est sumere quotiescunque sumperint. Et confirmatur primo, nam hinc colligunt omnes praepceptum esse Sacerdotibus, vtramque speciem sumere, quando conficiunt, quia Christus ita fecit, & dixit: (Hoc facite) ergo idem concludi potest de alijs sumentibus: quia vt supra diximus, illud pronomen (hoc) non tantum designat facta Christi, sed etiam Apostolorum sumentium. Confirmatur secundo ex verbis subiunctis: In mei memoriam facietis, id est, in representationem passionis meae, vt omnes exponunt; representatio autem passionis non fit expressa sine sumptione sanguinis: nam per duas species distinctas significatur separatio sanguinis a carne & anima a corpore, facta in passione. Haec sunt fundamenta haereticorum, qui reprehendunt communionem in vna specie, prout est in communi vsu Ecclesiae, vt refert V Valdenis tom. 2. de sacram. c. 87. & Bellar. lib. 4. de Eucharist. c. 20. & seq. Alij vero haeretici, vt refert Ioan. Alban. de communiione sub vna specie, par. 1. ar. 4. distinctione vsi sunt aliquando enim fit communio priuatiim ex praconsecratis: & tunc inquit non procedere argumenta facta, quia non oportet tunc fieri communionem propter representationem passionis Christi, sed propter effectum, qui in vna tantu specie dari potest, aliquando vero heri publice in ipso sacrificio; & tunc dicunt concludere argumenta facta, praecipue secundum: quia illa communio pertinet ad consummationem sacrificij, & representationem passionis: & ita exponunt illa verba: Hoc facite, quotiescunque sumitis in mei commemorationem: ita vt illa particula: in mei commemorationem, coniungatur cu verbo (sumitis) non cum verbo (facite) & sensus sit: Quotiescunque sumitis in mei (id est passionis meae) commemorationem, hoc facite: id est, corpus & sanguinem sumite.

Nec per se malum nec diuino prohib. hinc est iur. vnam eu. coarctata. ssumere sine altera sumere Conc. Const. Tridens.

Veritas Catholica est, nec per se esse malum, nec iure diuino prohibitum, vnam speciem huius sacramenti sine altera sumere. Ita definitur in Concilio Constantiens. sess. 13. & in epistola Martini V. & clarius in Concilio Tridentino sess. 21. capit. 1. idemque traditum fuerat in Concil. Basileens. sess. 30. Et probatur, satisfaciendo duabus difficultatibus positis, quia neq; ex solae rei natura, neq; ex speciali mandato Christi colligi potest, esse necessariam, sumere semper vtramque speciem; ergo ex nullo capite esse malum aliquando vnam solam speciem sumere. Proba-

tur prima pars antecedentis, nam quatuor sunt in hoc sacramento, ex quibus haec obligatio posset oriri: scilicet, effectus, significatio, res contenta, & species continentes: sed propter effectum non est semper necessarium, vtramque speciem sumere: tum quia in superioribus visum est, per se loquendo, totum effectum dari per singulas species, non minus, quam per vtramque tum etiam: quia, licet daretur maior effectus per duas, quam per vnam speciem, tamen neq; est necessarium ad salutem, neq; est in praepcepto, totum Eucharistiae effectum semper recipere: ex hoc ergo capite non potest haec necessitas oriri. Rursus neque ex significatione, quia significatio, quae per se pertinet ad hoc mysterium, vt sacramentum est, & ad effectum eius, perfecte reperitur in singulis speciebus: praecipue enim significat hoc sacramentum vniionem membrorum cum suo capite Christo & ipsorum inter se, & representatur in pane, quatenus ex multis granis vnus panis conficitur, & quatenus per modum cibi sumptus, sumentis coniungitur: & idem fere est in vino, nam etiam vnus liquor ex multis granis efficitur, & sumentis vnitur: representatio autem expressa passionis magis ad rationem sacrificij, quam sacramenti pertinet. Dices, etiam sumptionem sacramenti esse participationem sacrificij: & ideo debere esse integram. Sed hoc nihil refert: quia non est de ratione sacrificij, vt omnes, qui adstant, & consentiunt sacrificio, illudque per Sacerdotem offerunt, de ipso participant: sed satis est, vt publicus minister illud consumat: & ideo supra probauimus, non esse necessarium, vt omnes fideles communi-cent in omnibus Milsis, quas audiunt: multo ergo minus erit necessarium, saltem ex vi ipsius sacrificij, & significationis eius de vtraque illius speciei participare: sed hoc ad summum, pertinebit ad Sacerdotem. Vnde in lege veteri, qui offerebant aliquid in sacrificium, non semper participabant de omnibus rebus oblati: sed solum ex parte, iuxta praescriptum legis: non est ergo hoc necessarium ex communi ratione sacrificij: & in hoc nostro Eucharistico minor erit necessitas, cum in singulis speciebus tota res oblata contineatur, vt iam dicam. Nam ex tertio capite, scilicet, ex re contenta multo minus colligi potest haec obligatio, nam res hic contenta est Christus, qui totus continetur sub singulis speciebus: ergo nec ipsi rei contenta, & principaliter manducata, nec manducanti aliqua fit iniuria vel detrimentum, ex eo quod vna tantum species sumatur: quia tantumdem sumitur vno modo sicut altero: nam, quod idem Christus bis sumatur, per se non refert ad integram sumptionem eius, & ad perfectam cum ipso vniionem, magis quam quod sumatur sub hostia maioris vel minoris quantitatis, aut sub vna vel duabus hostijs.

Basil. Martin. P.

Obiectis. requirunt.

Vnde tandem concluditur: neq; ex parte ipsarum specierum posse hanc obligationem nasci, quia specierum sumptio tantum est, aut propter significationem, aut propter effectum, aut propter rem contentam: si ergo his tribus rebus non deroget, quod communio fiat in vna specie, profecto speciebus secundum se nulla in hoc potest fieri iniuria. Quocirca nec sacramento huic, vt sacramentum est, potest iniuria fieri ex eo, quod in vna tantum specie sumatur: quia, si consideretur id, quod est res & sacramentum simul, hoc totum sumitur in singulis speciebus, si vero id, quod est sacramentum tantum, licet materialiter pars tantum sumi videatur, tamen formaliter in ratione signi, & virtualiter in ratione causa, totum sumitur, in singulis partibus: quia totum est in illis, vt declaratum est. Vnde facile excluditur Tactis seruo obiectio, si quis dicat, non significari integram ac puto respon. perfectum conuiuium in vna specie, & consequenter neque perfectam refectionem. Respondetur enim, satis esse, hanc refectionem representari in re contenta, & effectus eius; nam etiam in corporali

Bbb b 4 mandu.

ex integro decreto, seu rescripto Gelasij, quod mihi videre non licuit. Alius etiam sensus sumi posset, ex parenthesi in eo textu interposita (quoniam nescio qua superstitione docentur altringi) aut integra sacramenta suscipiant, &c. ubi non videtur hoc praeceptum, quod per se esset necessarium, sed quia ex nescio qua superstitione aliter fiebat. Prior tamē interpretatio mihi magis probatur. Secundum testimonium erat Leonis, cui melius accommodatur secunda expositio data: Leo enim loquitur contra Manichaeos, qui ideo respuebant speciem vini, quia dicebant esse quid malum, & à malo Deo factū, vel quia negabāt, Christum vere pro nobis mortuum fuisse, & suum sanguinem fuisse, & hoc reprehendit Leo: non verò vini speciei sumptionem absq; superstitione factam. Tertium testimonium erat Augustini, qui ab Algero oratur in eodem sensu, quo Gelasius. Unde eodem sensu exponi potest, & similiter intelligendus est ipse Algerus: vel certe probabile est, Augustinum locutum esse contra Manichaeos, prout frequenter scribit. Alij verò exponunt, locutum esse contra quosdam, qui existimabant, sub specie panis non esse sanguinem Christi, & nihilominus solam speciem panis sumebant, contra quos rectē dicit, non posse iure carnem sine sanguine sumi: sed quid horū verum sit, incertum mihi est; quia illa opera Augustini non extant. Quartum erat Prosperi indicantis consuetudinem dandi corpus in calice tinctum: dicendum est autem, illam consuetudinem non fuisse iherosolimam, sed alicuius priuatæ provinciae, quæ consuetudo ex speciali aliqua ceremonia introduci cepit, partuq; tempore duravit: nam in Concilio, Brachar. II. c. i. prohibita est: ubi non prohibetur mistio corporis & sanguinis, quæ fit in Missa, quæ antiquissima est in Ecclesia, à tempore Sergij Papæ, vt creditur & probatur in Concilio Toletano 4. c. 17. & refertur ab omnibus antiquis, qui de Officijs Ecclesiasticis scribunt, & videri potest Algerus lib. i. cap. 19. sed prohibetur communicatio laica facta illo modo, vel propter irreuerentiam vitandam, vel propter vitandam superstitionem & varios errores, in quibus illi vsus fundari poterat. Sed quæret aliquis, an hæc doctrina intelligenda sit indifferenter de vtraq; specie, an potius de specie panis, quam vini: nam hoc posterius solum potest Ecclesie consuetudine confirmari: de specie autem vini sola sumenda, nunquam fuit in Ecclesia consuetudo: at verò de corpore est consuetudo antiquissima: nam, licet vltus vtriusque speciei antiquus etiam fuerit, tamen non creditur, vtrquam eo sensu fuisse obseruatum, quin etiam corpus sine sanguine sumere liceret, & sæpe etiam ita heret, vt multi colligunt ex Act. 2. & 20. ubi solius panis fit mentio, & significat etiam Hieronym. in Apolog. pro libris contra Iouinian. & habemus triplex huius rei indicium antiquissimum, & certissimum. Primum, quia fideles Eucharistiam secum ad proprias domos deferrebant: quia nō poterant tam frequenter in Ecclesijs ad communicandum conuenire, vt ex Tertull. Cyprian. August. & Hieronym. supra ostendi: deferrebant autem secum consecratum panem: de vino autem nulla fit mentio, neq; est verisimile, tum propter periculum effusionis, & corruptionis: tum etiam, quia non habebant singuli sacra vasa, in quibus solis sacramentum sanguinem recipi mos semper extitit. Deniq; quia panis sacratus solebat dari manibus communicantium: calix autem minime, vt colligitur ex Cyrillo Hierosolym. Catech. 5. Mystag. Secundum indicium est, Eucharistia seruata pro infirmis, quæ in specie panis semper seruata est, vt supra ex varijs Concilijs & Historijs ostendimus: nunquam autem legitur seruata in specie vini, vt ex eisdem locis supra citatis constare potest, quia, reuera, nec commode seruari poterat absq; periculo, vel effusionis, vel corruptionis. Unde omnibus nota est historia illa, quam refert Euseb. lib. 6. histor. cap. 36. de Serapione sene;

qui, cum esset morti vicinus ad Sacerdotem misit, vt sibi communionem afferret, ad quem Sacerdos misit particulam Eucharistiae, non autem consecratum calicem. Tertium indicium sumitur ex Officio Parasceues, in quo sumitur corpus sine specie sanguinis, quem morem esse antiquissimum constat ex Gregorio in suo Sacramentali, Alcuino libro de Officijs, Gregor. Eccles. cap. de die Parasce. Rabano lib. 2. de instit. Cleric. cap. 37. & Myrologo lib. de reb. Eccles. cap. 19. & supra etiam ostendimus, in Ecclesia Græca similitudinem fere omnibus diebus quadragesimæ fuisse seruatum: & indicatur in VI. Synod. canon. 52. Trulliano. Respondetur, ita quidem esse, veritatem hæc certius constare de specie panis: nihilominus tamen mihi non est dubium, quin eodem modo locum habeat in specie vini, propter rationis paritatem, quia etiam in hac specie est totus Christus: & habet totum, vel sufficientem effectum, sufficientemque significationem: & nullum est speciale præceptum diuinum, quod hoc prohibeat: igitur doctrina data indifferenter vera est in qualibet specie. Quod vero magis sit ad praxim redacta in specie panis, quam vini, non est ex eo, quod aliud non liceat, sed fortasse ex eo, quod aliud non expediat: quia non est in specie vini ea commoditas ad varios, & communes vsus, quæ est in specie panis. Non desunt autem vni docti, qui existimant, fuisse olim consuetudinem communicandi aliquando sub sola specie vini, præsertim erga infantes, quibus prius, quam possent edere, infundebatur Eucharistia sub specie vini, quod videtur indicari à Cypriano, libro de lapsis: & erga infirmos quando non poterant panem trajicere: tunc enim permittebatur infundi sub specie vini: quod citari solet ex Concilio Toletano XI. capit. 11. Sed ibi potius significatur, vtramque speciem solitam fuisse dari. Quapropter incerta mihi hæc consuetudo est: ita vero sentiūt Ruardus articulo 15. & Claudius repetition. 10.

SECTIO II.

Verum omnibus necessarium sit de iure diuino, aliquando saltem sub vtraq; specie communicare.

Quamuis malum non sit, vnam speciem sine alia sumere: neque sit necessarium, quotiescunque hoc sacramentum suscipitur, in vtraque specie suscipi: nihilominus posset esse præceptum, vt aliquando saltem, seu aliquoties in vita, sub vtraque specie sumeretur: & ideo post definitam præcedentem questionem, hæc, quæ proposita est examinanda superest. In qua nulla potest esse dubitandi ratio, stando in solo iure naturali, seu loquendo de necessaria consecratione ex vi solius institutionis: nam ex vilius non oritur obligatio communicandi absolute, vt supra ostensum est: ergo multo minus potest oriri obligatio communicandi sub vtraque specie: pariter consequentia, quia communicare sub vtraque specie, est quidam vsus huius sacramenti: ergo, si institutio per se non obligat ad vsum, neque ad hunc vsum obligabit, & alioqui ostensum etiam est, huiusmodi vsus non esse necessarium ad reuerentiam actus, etiam ex suppositione, quod aliquis communicare velit: ergo præcisè ex vi institutionis nulla oriri potest obligatio ad communicandum aliquando sub vtraque specie. Tota ergo dubitatio est de iure positivo diuino, in qua multi hæretici errarunt, dicentes, esse à Christo Domino præceptum, vt omnes fideles aliquando vtramque speciem sumant: qui error primum in Bohemia ortus est, auctoribus Petro Dresdensi, & Iacobello Misnensi, vt refert Aeneas Syluius in historia Bohemorum, c. 35. Hos secuti sunt Ioannes VVicleff, & Ioann. Huss, & VVicleff. deinde Lutherus, ac nouatores omnes, aliqui etiam

Gregor.
Alcuin.
Raban.
Myrolog.
VI. Synod.
Dubijs propo-
siti solutio.
Cyprianus
Conc. Tolet.
XI.
Ruard.
Claud.
Hæresis circa
vnam Eucha-
ristiam
Pet. Dresd.
Iacobell.
En. Sylu.
VVicleff.
Ioan. Huss.
ex Ca.

ex Catholicis non recusant admittere in principio
 iatum fuisse à Christo hoc præceptum, & ad tempus
 in Ecclesia durasse, differunt tamen ab hæreticis, quia
 non reprehendunt Ecclesiæ consuetudinem, seu di-
 cunt auctoritate à Christo acceptam, vel interpreta-
 ram esse, & hoc præceptum iam cessasse, vel certè in
 eo dispensasse. Ita Claudius repetit, 10. cap. 4. tamen
 eius sententia non minus pugnat cum Concil. Tri-
 dent. vt videbimus: & minus consequenter, valdeq;
 voluntariè loquitur ad defendendam consuetudi-
 nem Ecclesiæ. Hi omnes fundantur in illis verbis,
 Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &
 biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in
 vobis: sed ex vi horum verborum colligitur præcep-
 tum diuinum sumendi Eucharistiam, vt supra vi-
 sum est: ergo ex eisdem colligitur præceptum diuinum
 communicandi sub vtraque specie, si non semper sal-
 tem aliquando. Patet consequentia, quia, sicut ibi di-
 citur necessaria ad vitam communio huius sacramē-
 ti, ita dicitur necessaria vtriusque speciei sumptio, &
 modus sumendi, comederendo & bibendo: ergo est eā-
 dem ratio præcepti, quia illa necessitas non potest,
 nisi ex præcepto oriri. Vnde Christus Dominus Mat-
 thæi 26. non sine mysterio dixit, Bibite ex eo omnes,
 vbi ad Apostolos in persona omnium fidelium loqui-
 tur, quia ibi de dispensatione, & sumptione sacramē-
 ti agebat, quæ communis est omnibus. Vnde Paulus
 1. ad Corinth. 10. in figuram huius sacramenti & v-
 sus eius, dicit de antiquis fidelibus, Omnes eandem
 escam spirituales manducauerunt, & omnes eundē
 potum spirituales bibebant: ad omnes ergo pertinet,
 atque adeo necessarium est, non solum mandu-
 care, sed etiam bibere de petra, quæ est Christus. Se-
 cundo argumentor ex antiquæ Ecclesiæ consuetudi-
 ne, quæ ita interpretata est hoc Christi præceptum: i-
 deo enim dabatur hoc sacramentum omnibus sub
 vtraque specie, quia exstimabatur ad salutem neces-
 sarium: quod imprimis colligi videtur ex Paulo 1. ad
 Cor. 10. dicente, Vnum corpus sumus, qui de vno pa-
 ne, & calice participamus: & cap. 11. Probat autem se
 ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bi-
 bat: omnes ergo tunc edebant & bibebant; referunt
 etiam Clem. Pap. lib. 8. constit. c. 13. & 14. Dionys. c. 3.
 de Eccles. Hier. p. 1. & 3. Ignat. ep. 9. ad Philadelph. &
 sumitur etiam ex Ambr. de offic. c. 41. vbi refert ver-
 ba Laurent. ad Sixt. Pontif. Experire, vtrum idone-
 um ministrum elegeris; cui comissit Dominici sari-
 guinis dispensationem; & ex Cypr. epist. 74. dicente,
 Quomodo eos ad effundendum pro Christo sangui-
 nem prouocamus; si eis Christi sanguinem denega-
 mus? & epist. 63. Quidam (inquit) vel ighoranter, vel
 simpliciter, in calice sanctificandō, & populo mini-
 strando, non hoc faciunt, q̄ Christus fecit, & docuit,
 & ser. de cen. Dom. obscurius dicit, Lex esum sangui-
 nis prohibeat, Euangelium præcipit, vt bibatur. Iu-
 stinus. etiam Apolog. 2. pro Christianis, & consuetudi-
 nem docet, & præceptum indicit: de consuetudine
 etiam expressum est testimonium Cyrill. Hierosol.
 Catech. 5. Mystag. & Chryl. hom. 48. in 1. ad Cor. præ-
 ter alia, quæ precedente sectione adducta sunt.

Tertio potest ratio adiungi, seu congruentia, quia
 non est maior ratio de vna specie, quam de alia: &
 quia vtraque propter vsum fidelium instituta est: ergo
 de vtraque debuit dari præceptum; & hoc etiam
 suadent omnes congruentiæ, quibus supra probaui-
 mus; datum esse diuinum præceptum de vfu huius
 sacramenti; eo vel maxime, quod præceptum non est
 credibile esse datum de parte sacramenti, sed de to-
 to: ergo, saltem quando cunq; diuinum præceptum
 communionis obligat, & communio fit ad implem-
 dum illud præceptum, tunc fieri debet sub vtraque
 specie; atq; hoc modo vitari facile poterunt omnia
 pericula, quibus huiusmodi vfus censetur expositus:
 quia, nec pueris oportebit dare vtramq; speciem, ne-
 que adultis, nisi raro.

Dico primo; Nullum est præceptum diuinum fi-
 delibus laicis impositum communicandi aliquando
 sub vtraque specie. Est de fide definita in Concilijs ci-
 tatis sectione præcedente; & primo probatur: quia
 tale præceptum, nec scriptum est, nec traditum præ-
 ceptum autem diuinum positum affirmatum non
 est, nec admittendum; nisi sufficiente auctoritate
 constet. Prior pars probatur, nam, si ex aliquo testi-
 monio colligeretur hoc præceptum, maxime ex ver-
 bis illis, Nisi manducaueritis, & c. Sed ex illis non col-
 ligi, probat Concil. Trid. sess. 21. c. 1. quoniam, Qui di-
 xit; Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & bi-
 beritis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis
 dixit quoq; Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet
 in æternum. Et qui dixit, Qui manducat meam car-
 nem; & bibit meum sanguinem, habet vitam æter-
 nam; dixit etiam: Panis, quæ ego dabo, caro mea est
 pro mundi vita. Et deniq; qui dixit, Qui manducat
 meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me ma-
 net, & ego in illo: dixit nihilominus: Qui manducat
 hunc panem, viuet in æternum. In quibus verbis sic
 tacite argumentatur Concilium; Christus affirmat,
 panis, seu carnis manducationem ad vitam sufficere;
 ergo non asseruit in prioribus verbis, formalem vtri-
 usq; speciei sumptionem esse ad vitam necessariam.
 Sed dicit aliquis, hanc Concilij argumentationem
 non esse legitime primam, quia per panis manduca-
 tionem intelligi potest integra resectio, tum quia no-
 men panis habet hanc in Scriptura sacra frequentem
 significationem: tum et, quia vtitatis visum est, totū
 à parte nominare, præsertim in his moralibus actio-
 nibus: ergo verisimile est, ita fecisse Christum, ne toties
 eadem integra verba repeteret. Secundo, quia ad sic
 exponendum cogit vis priorum verborum conditio-
 nalium: quæ multo maior est, quâ simplicis locutio-
 nis promissiuæ: nam prior locutio clara aperta ne-
 cessitatem posteriori vero non excludit illam, sed so-
 lum proponit alterius speciei efficaciam: huiusmodi
 aut simplex affirmatio & promissio, non solet in Scri-
 ptura excludere alia concomitantia, & necessaria, sic-
 ut Christus dixit, Qui me confessus fuerit coram
 hominibus, eustibor & ego eum coram Patre meo:
 non excludit necessitatem baptisimi, aut Penitentis,
 vel communionis, si comode adhiberi possent, sed po-
 tius subintelligitur cõditio, scilicet, nisi alia, quæ ne-
 cessaria sunt, voluntariè omittantur, seu (quod item
 est) si id debito modo fiat, sic ergo in proposito dici
 poterit. Tertio, & maxime, quia Concilium adducit
 quidem illa alia testimonia, non tamè declarat, quo-
 modo verba illa intelligenda sint, quæ apertissime v-
 triusq; speciei necessitatem proponere videntur: re-
 sponderetur: his argumentis ostendit, quam sit necesse-
 ria animata regula ad sacram Scripturam explican-
 dam, quæ per se sumpta, quasi mortua est, & surratio-
 nem reddere non potest: vnde fit, vt facile in hunc vel il-
 lum sensum trahatur: Concilium ergo, quæ vere est ani-
 mata & infallibilis regula, indicare intendit verum
 sensum verborum Christi, qui maxime cõformis est
 intentioni eius, vt facile patebit totum illum Christi
 sermonem, & occasionem eius consideranti: docet
 n. Christus eo loco, vniorem cum ipso, tam spiritua-
 lem, quam sacramentalem, esse hominibus necessari-
 am ad vitam, quia vero hæc vniõ fieri sufficere pot-
 test per duas, vel per vnam speciem, ideo nunc de v-
 traque, nunc de altera loquitur, & vtriusq; modo sumen-
 tibus vitam promittit, & inter alia sic inquit, Qui ve-
 nit ad me, non esuriet, & qui venit ad me non sitiet: si-
 gnificas, quacunq; ratione & modo ad ipsum venia-
 tur, dummodo reuera perueniatur, ipsum solum suf-
 ficere ad vitam & famē tollendam, & inferius compa-
 rat hoc sacramentū cum manna, vtq; similitudo om-
 ni ex parte quadret, declarat, solum cibum, etiam si
 non interueniat, ad salutem sufficere, &
 ideo dicit: Ego sum panis vite; patres vestri
 manducauerunt in deserto manna, & mortui sunt: hic est

Claudius.

Matth. 26.

2. Cor. 10.

Clem. Papa Dionys. Ignat. Ambr. Laurent. Cyprian.

Iustinus.

Cyrrillus. Hieron. Chrysof.

hic est panis de caelo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur. Ac tandem sermonem concludit, totam sufficientiam, & efficaciam constituens in vnione ad ipsum, dicens: Qui manducat me, viuet propter me. Ex his ergo declarauit Concilium, Chriſti mentem non fuisse, loqui metaphorice, aut sub aliqua conditione, sed simpliciter & absolute, vt verbalonant: quia reuera Christus ipse manducatus vereque anima vnitus, ad salutem sufficit, non adhibuit autem clariorem priorum verborum expositionem: quia sciebat in hoc varias esse Patrum expositiones, quarum nullam voluit, aut rejicere, aut definire: sed solum sumit ex omnibus tale praeceptum in eis veris non contineri. Vt uaque inquit iuxta varias sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligantur.

Quatuor igitur sunt illorum verborum expositiones: Prima, vt non sit ibi sermo de hoc sacramento, nec de sacramentali vlti, sed de Christo, & de spiritali manducatione ipsius per fidem & charitatem. Hanc vero interpretationem supra reieciimus: nunc ex illa solum sumimus, non posse esse de fide certum a Christo Domino latum esse tale praeceptum in illo loco, imo, vt supra diximus, neque praeceptum diuinum communiandi absolute, seu sub aliqua specie, certa fide colligitur ex illo loco: vnde quando nulla ratio subesset, subterfugendi vim horum verborum, nisi hanc expositionem admittendo, quilibet fidelis ac prudens deberet potius hoc eligere, quam receptam Ecclesiae consuetudinem sensumque damnare. Sed non desunt aliae interpretationes. Secunda est, ibi praecipere sacramentalem summptionem corporis & sanguinis Domini, non tamen praecipere modum summptionis, id est, quod manducandum & bibendum sumatur, nam quilibet horum modorum sufficit, dummodo vtrumque seu totum sumatur: quia necessitas tota constituta est, in ordine ad Christum sumendum, quia ergo totus in qualibet specie sumitur, quamuis sub specie panis non bibatur proprie sanguis, vt dixit Innocentius libro 4. de hoc mysterio, capitulo 21, quia tamen reuera sacramentaliter sumitur, ideo emittitur (vt sic dicam) bibitur, & id sufficit ad salutem, sic dixit Tertullianus lib. de resurrectione carnis: Caro corpore & sanguine Domini vescitur, vt anima saginetur: & Cyprianus sermo. de Coena Domini: Panis (inquit) in carnem & sanguinem mutatus vitam confert: & huiusmodi panem dicit manducari & bibi: nam Potus (inquit) & eius ad eandem pertinent rationem: & Bernardus sermo. 3. in Domnica Palmaram, dicit: Alimonia corporis & sanguinis Domini a fidelibus frequentari: est ergo hic sensus sufficiens, solumque illi obitare potest, quia non cum tanto rigore singulorum verborum proprietate sustinet. Tertia expositio est, in illis verbis contineri praeceptum summptionis vtriusque speciei, hoc tamen non eodem modo obligare omnes fideles sed cum proportione, iuxta vniuersumque capacitatem ita vi necessarium sit, corpus & sanguinem Christi in Ecclesia manducari & bibi, non tamen vtrumque sit singulis necessarium, sed quibusdam, scilicet, sacrificantibus, vtrumque necessarium sit: non sacrificantibus vero, alterum sufficit: iuxta Ecclesiae dispositionem & interpretationem. Sed haec expositio magis libera est, difficilisque potest accommodari verbis, quae plane ad omnes fideles indifferenter diriguntur, propter quod, vt existimo, nihil ex eis potest specialiter probari de sacerdotibus, magis, quam de alijs. Quarta dispositio est, vti illa, quae speciem habet copulatiuae locutionis, vim habeat disiunctiuae scilicet: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, vel biberitis eius sanguinem, solet enim particula, & in Scripturis hunc sensum reddere Exod. 15. & 21. Qui occiderit patrem & matrem: morte moriatur. i. patrem vel matrem, & Job. 21. sepius reperitur par-

ticula, & in hac significatione, & saepe alias. Dices multo magis videri hanc expositionem voluuntariam, & non solum praeter, sed etiam contra vim verborum, quandoquidem signum vniuersale & distributiuum in particulare conuertitur: neque in Scriptura vnquam illa expositio admittenda est, nisi quando illa particula, & non terminos, sed propositiones coniungit: tunc in toto rigore reuocari potest ad sensum propositionis, de disiuncto extremo, vt in illo exemplo, Quod occiderit patrem & matrem, morte moriatur: sensus est: Qui occiderit patrem, morte moriatur, & occiderit matrem, morte moriatur. Quae dux aequalent huc disiunctae, qui occiderit patrem vel matrem, morte moriatur, & simile est illud Apoc. 1. Beatus, qui legit, & audit verba prophetae huius: sensus n. est. Beatus qui legit, & beatus, qui audit. & ideo recte exponitur. Beatus, qui legit, vel audit. Respondetur, eundem sensum hic esse adhibendum, seruata proportione, & particula, & non esse extraxendam a propria, & rigorosa significatione quam habet. Sed consideranda vltima est negatio inclusa in illa particula (nisi) in initio totius propositionis posita: Nisi manducaueritis: q. perinde est, ac si diceretur (si non manducaueritis) prout Graeci & codices habent: illa autem particula, (non) in principio talis propositionis copulatiuae posita, vtramque partem negat, & iuxta phrasim Hebraicam, quali bis, scilicet in vtraque parte repetita intelligitur, vt in illo Psal. 1. Non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in concilio iudiciorum: Hebraica lectio habet: Non resurgunt impij in iudicio, & peccatores in concilio iudiciorum: recta autem est versio Latina, quia illa particula (non) intelligitur repetita in vtraque parte: sic et Psal. 128. De quo Psal. 128. non implebit manum suam, qui merit, & finum suum, qui manipulos colligit, sensus est: neque finum suum, subintelligendo repetitam negationem, sic et Act. 3. 3. Argentum & aurum non est mihi, i. neque aurum habeo, neque argentum: sic etiam Io. 15. Si non uenissim, & locutus es fuisse, & nisi es locutus fuisse, repetita negatione: est enim frequens apud Ioannem, phrasim Hebraicam retinere, vt expositores eius notant: eundem ergo in praesentia retinuit, sensusque erit: si non manducaueritis carnem filij hominis, & si non biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: iuxta quem sensum solus ille non habebit vitam, qui neque carnem Domini manducauerit, neque sanguinem biberit: ex quo sensu copulatio propositio, & recte sequitur alia propositio affirmatiua de disiuncto extremo: Qui comedet carnem, vel biberit sanguinem Domini, habiturum vitam: quia prior comminatio solum cadit in eum, qui vtrumque omittit, & haec expositio saluat omnium verborum vim & proprietatem: & est contentanea vsui scribendi Evangelistae Ioannis: & cum ea quadrant optime antecedentia & subsequencia: est ergo probanda: eamque moderni expositores magis probant.

Et ex his facile excludantur alia testimonia, quae ad alia vestigia minoris momenti sunt, vt est illud: Accipite & bibeite ex eo omnes: nam in primis haec verba non sunt praecipientis, sed inuitantis, seu dantis, vt solet fieri in quocunque conuiuio: vt, quando Christus dixit, Ioannis 20. Accipite spiritum sanctum, nihil praecipit, sed dedit, simulque explicuit, quid daret. Deinde illud signum (omnes) non distribuit pro omnibus fidelibus, sed pro Apostolis tantum, vt patet, tum ex contextu, tum ex Marco dicente: Et biberunt ex eo omnes: quod non potest esse verum de omnibus fidelibus. Sed vrgent haeretici, Christum non sine mysterio addidisse illud signum (omnes) dando potum, & non dando panem. Respondetur, factum esse, quod sumunt, nam, licet Evangelistae non expriment, Christum dixisse, manducate ex hoc omnes, non tamen negant: & Canon Missae ex Apostolica tradi-

Prim. expo-
sitiōe
Cernit, Nisi
manducauerit
carnem
filij hominis,
&c.

Inuod.

Innot.

Tertul.

Cyprian.

Bernard.

Tertul.

Quarta.

Exod. 15. &
21.

Apo. 1.

Psal. 1.

Psal. 128.

Act. 3.

Ad alia vestigia
monia vestigia
datur.

Haereticorum
serpulisore
icitur.

Ambrosius
Paschas.

traditione affirmat, ita dixisse: & ita etiam legit Ambrosius 4. de sacram. c. 5. & Paschas. libro de Corpor. & sanguin. Domin. cap. 15. Deinde, etiam si ita esset, posset sufficiens ratio differentia dari absq; tali præcepto: nam Christus obtulit panem in duodecim partes diuisum, & ideo non erat tam necessarium explicare, ab omnibus esse sumendum: quando vero dedit potum, vnum & eundem calicem dedit, vt ex eo omnes biberent: & ideo oportuit dicere, bibite omnes: & alius Euangelista dixit: Accipite & diuidite inter vos. Sed vrgebit aliquis, quia licet Christus ad litteram locutus sit cum Apollolis: tamen in persona eorum loqui potuit ad omnes fideles, constat enim ex Euangelio, Christum aliquando locutum fuisse cum Apollolis secundum proprias eorum personas, vt cū eis dixit. Vos estis, qui permanistis mecum in tentationibus meis: aliquando vero, vt representabant omnes Episcopos vel Sacerdotes, vt cum dixit. Hoc facite, Quorum remisistis peccata, &c. aliquando tamen etiam fuisse ipsi locutum, vt representabant omnes fideles: sicut ipsemet Christus explicuit, Matt. 13. dicens, Quod vobis dico, omnibus dico sic ergo in præfenti fuisse locutum sentit Pasch. di. c. 15. dicens. Accipite & bibite ex hoc omnes, tam ministri, & reliqui credentes. Respondetur, concedendo Christum omnibus illis modis fuisse locutum varijs locis, quorum sensus ex circumstantia litteræ, ex materia, de qua agitur, ex Sanctorum expositionibus, potissimum ex Ecclesiæ sensu discernendus est. In præfenti ergo loco nihil est, quod cogat ad intelligenda illa verba, nisi de solis personis Apollolorum: quia nec præceptum, neque aliquid aliud continent, quod ad commune regimen Ecclesiæ pertineat: sed solum familiarem quandam sermonem inter assidentes eidem mensæ. Posset etiam admitti, ibi Apollolos representasse Sacerdotes omnes, quia ibi indicatum est, quid Sacerdotes agere debeant. Denique, licet concedamus, etiam posse illa verba vltimo modo intelligi, nil refert, quia illa verba non continent præceptum, sed facultatem bibendi, quæ iure diuino nemini denegata est, & hoc solum significat Paschasius, qui non exponit verba Christi, sed referens consuetudinem communicandi in vtraque specie, quæ tunc vigeat, considerat Christum per ministrum dicentem omnibus. Accipite & bibite.

Obiectio.

Matth. 13.
Paschas.
Solusius.

Nep; etiam colligi potest hoc præceptum ex testimonij Pauli, illa enim verba, quæ explicant veterem figuram (Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spirituales biberunt) nullam vim habent, ad colligendum præceptum: tum quia argumentum ex figuris ex se est infirmum: tum etiam, quia in ipsa met figura non omnes, qui manducauerunt manna, biberunt de petra: nam manna multo ante datum fuit, vt patet Exod. 16. Numer. 20 Iosue 5. & qui manducauerunt, non ex speciali præcepto id fecerunt, sed voluntarie. Alia autem verba, Probet autem se ipsum homo, &c. solum probant, tã ad bibendum calicem, quam ad manducandum panem, esse necessariam bonæ conscientie probationem: præceptum autem manducandi aut bibendi ex illis verbis, aut ex alijs eiusdem capituli, colligi non potest: vnde statim sub disunctione addidit Paulus Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Vbi considerandum est, cum qui manducat panem hunc indigne, quamuis non bibat, dici reum corporis & sanguinis Dni: quia reuera vtrumq; sumit: sic ergo è contrario, qui digne manducat, corpus & sanguinem Domini digne sumit: & ideo, tam præcepto sumendi, quam præcepto digne sumendi satisfacit: nullibi ergo est scriptum diuinum præceptum, obligans laicos ad sumendam aliquando Eucharistiam sub vtraque specie.

Exod. 16.
Numer. 20.
Iosue 5.

Præceptum.

Altera vero pars, scilicet, quod nec traditum sit tale præceptum, euidentior est: quia non solum non est in Ecclesia talis traditio: quin potius est contraria, in qua potissimum fundatur hęc conclusio: scilicet: nam Ecclesia Romana & Catholica denegat eos satisfacere Christi præcepto estu corporis: iudicat ergo, nullum tale præceptum esse a Christo impositum, in quo iudicio errare non potest: quia esset intolerabilis error contra bonos mores. Nec refert, si quis dicat, hanc consuetudinem Ecclesiæ non esse valde antiquam: tum quia in nullo tempore potest vniuersalis Ecclesia errare in huiusmodi materijs: tum etiam, quia ex Concil. Constantinensi, D. Thomæ & alijs, constat, consuetudinem hanc ante quadringentos vel quingentos annos inceptisse: non constat autem aliquando fuisse in Ecclesia vsu, vt omnes omnino aliquando sub vtraq; specie communicarent, quia nec constat, illam consuetudinem fuisse vniuersalem in omnibus Ecclesijs, & multo minus in omnibus personis. Certum autem est, nunquam in vniuersali Ecclesia fuisse hanc consuetudinem obseruatam propter existimationem necessitatis, aut præcepti diuini: sed quia tunc commode fieri poterat, quia erat numerus fidelium minor, & maior deuotio, & ideo non est nunc propria contrarietas in Ecclesiæ consuetudine: nam, mutatis rebus & circumstantijs, mutare consuetudinem, est quidem diuersum, non tamen contrarium. Et confirmatur, quia, si esset præceptum diuinum communicandi sub vtraque specie, maxime obligasset in articulo mortis, sed nunquam fuit vniuersalis consuetudo communicandi in huiusmodi articulo mortis, sed potius in vita Basilij, & aliorum Sanctorum, legimus eos communicasse in fine vite, accepto tantum corpore Domini, & antiqua decreta, quæ loquuntur de viatico dando agrotis, aut de Eucharistia pro eis seruanda, fere semper de solo corpore loquuntur.

Vltimo addere possumus congruentiam explanationes hoc præceptum non fuisse necessarium, quæ ferè ex præcedente sectione sumi possunt: quia ad vtilitatem fidelium necessarium non fuit, cum illis sitis inter vnã speciem prouisum, quoad omnes gratæ effectus, præsertim, si per eos non sit, quo minus digne & frequenter illa vntur, vt in superioribus dictum est. Nec etiam hoc pertinet ad diuinum cultum, si dei professionem, aut Christi memoriam, vel representationem passionis: quia hæc in ipso sacrificio hnt, concurrentibus omnibus, qui assunt, & per Sacerdotem illum cultum Deo offerentibus eandemque fidem profitentibus, & Christi passionem representantibus, cuius memoriam etiam renouant quando sacramentum sumunt in quacunque specie, ergo neque ex hoc capite oportuit dari tale præceptum, præter hæc autem nullum aliud videtur posse excogitari. Alio qui vero oportuit hanc dispositionem prudentiæ, & iudicio Ecclesiæ relinquere: quia potuit ad reuerentiam sacramenti expedire, vt neque omnibus, in vtraque specie daretur: ita igitur factum est.

Dico secunda: Etiam non esse iure diuino præceptum sumere alteram ex his speciebus determinatè, sed solum consue, seu disunctione, ita vt, quacunque earum accepta, præceptum diuinum impleatur: hæc conclusio solum ponitur propter speciem panis: nam de specie vini, manifestum est ex dictis, nullum esse præceptum sumendi illam, neque solum, neque cum alia specie: de specie autem panis, aliqui Catholici putant necessario esse sumendam de iure diuino, ita vt communicando tantum sub specie vini, non satisfiat diuino præcepto de vsu huius sacramenti. Ita sentiunt Ioan. Alban. lib. de communione sub vna specie, tractatu. 1. ad 5. & Bellarm. lib. 4. de Eucharistia. c. 25. ad 3. 4. & 5. Fundatur, quia Lucas & Paulus referunt, Christum statim post communionem sui corporis

corporis dixisse, Hoc facite, post communionem autem calicis, Lucas nihil refert, Paulus vero non abfoluit, sicut prius, sed sub conditione refert, dixisse, Hoc facite, quotiescumq; sumitis, in meam commemorationem: ex qua diuersitate colligunt, summionem sub specie panis esse simpliciter præceptam: sub specie autem vini, solum, quando fit Christi commemoratio in sacrificio. Ratio vero differetia reddi potest, quia vsus panis semper futurus erat conueniens omnibus fidelibus, vt Ecclesiæ consuetudo satis probat: & ideo hunc determinate videtur pro omnibus Christus præcepisse: cuius indicium etiam est, eam in toto illo sermone Ioannis 6. quodocumq; Christus loquitur de vna tantum specie, seu summione eius, loquitur de carne, corpore aut pane, & antiquæ figuræ huius sacramenti, necessitatem cibi indicant, non potus, vt manna, agnus Paschalis, panis propositionis, & submericis panis Eliæ. Tandem additur congruentia, in significacione fundata: quia panis magis est necessarius ad vitam, quam vinum: debuit ergo magis determinate præcipi vsus eius, ad significandam vnionem cum Christo necessitatem: Item panis repræsentat corpus, quod præstantius quid est, quam sanguis. Item, species panis sunt aptiores ad memoriam Christi, quæ facilius per corporis, quam sanguinis representationem concipiunt. Item, quoad vsum: panis ab omnibus facile sumi potest, vinum autem non item: multi enim sunt, qui vino vti non possunt: verisimile ergo est, præceptum determinate esse positum de specie panis: solumque vsus speciei vini relictum esse indifferentem. Nihilominus conclusio posita mihi videtur omnino vera, quam postea expresse docuit idem Bellarminus, capit. 27. ad 8. & idem sentit Sebastianus Oxemenfis hic articulo 12. numero 4. Et ratio est, quia totus discursus factus in prima conclusione, hanc etiam conuincit: diximus enim illa verba, Nisi manducaueritis, &c. reduci ad sensum disunctiuum: ergo dicendum consequenter est, præceptum in eis contentum per quamcumq; disunctionis partem sufficienter impleri. Item, quia sicut in Scriptura nullum est præceptum de vtraq; specie, ita nec de specie panis determinate. Item, quia illæ promissiones, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, non copulatiue sed copulatiue intelligende sunt, ita vt perse, & sigillatim verificentur & demandant carnem, & de bibente sanguinem: ergo quodlibet horum per se ad vitam sufficit. Item, tam est totus Christus sub specie vini, quam sub specie panis: ergo ex vi iuris diuini, tã est sufficiens summio illius, sicut huius. Patet consequentia: quia efficit æqualem vnionem tam sacramentalem, quam spirituales cum Christo propter quam est specierum summio, vt diximus, & significat Concil. Trid. vtens illo fundamento ad probandum, vnam speciem sufficere, quia totus Christus est sub illa, in quo multum huic sententia fauet. Præterea coniecturæ contrariæ nihil suadent, quia illa verba, Hoc facite, simpliciter dicta, vel cum illo addito, scilicet, in meam commemorationem, aut cum illa conditione, Quotiescumq; sumitis, ad eundem sensum referuntur, vt præcedente sectione diximus, & significat Ecclesiæ, que in canone, solum post vtriusque speciei consecrationem, refert illa verba, Hæc quotiescumq; feceritis, in mei memoriam facietis: nullum ergo mysterium latet: in illa diuersitate verborum Pauli, vt propterea censeatur magis determinate præcepta vna species, quam alia: sed solum in posteriori loco explicatur, quod in priori omisum fuerat. Tandem, licet verum sit, vsus panis communiter esse faciliorem & aptiorem pro tota communitate, non tamen propterea oportuit sub præcepto, ac necessitate determinate poni: præsertim, cum aliquando et possit applicari vsus vini, & non panis, vt in superioribus etiam diximus, probabile esse in aliquibus casibus

Fr. Suarez Tom. 3.

seu cum aliquibus personis factum esse, & sufficiens existimatum.

SECTIO III.

An potuerit Ecclesia prohibere laicis vsus calicis, idq; fuerit expediens.

Ratio dubitandi circa priorem partem est, nam licet Christus non præceperit omnibus huius speciei vsus, tamen pro omnibus illam instituit, omnibusq; dedit ius illam petendi, cum dixit, Accipite & bibite, & sicut pro omnibus suum sanguinem fudit, ita omnibus suum sanguinem in testamento reliquit, dicens, Hic est calix noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur: non ergo potest inferior potestas priuare subditos iure, & facultate sibi concessa à superiori potestate: sicut non potest procurator, seu minister aut testamētarius, priuare hæredem re à testatore sibi testamento relicta, aut vsu eius. Et optimum exemplum est in sacramento Confirmationis, & Extremæ vnctionis, de quibus Christus speciale præceptum fidelibus non imposuit: tamen, quia pro ipsi ea instituit, iusque illis vtendi eisdem concessit, non potest Ecclesia eorū vsus eis interdiceret: idem ergo est in præsentē sacramento. Secundo nunquam expedire potest, vt in hac potestate, quia Ecclesiastica potestas non est in destructionem, sed in ædificationem: priuare autem fideles vsu sanguinis Christi, non potest esse in ædificationem, sed in magnum detrimentum: quia priuantur magno fructu gratiæ, magnaq; consolatione & deuotione, ratione cuius acciperent per vtramq; speciem maiorem gratiam ex opere operato, quam per alteram tantum. Et aliunde nulla est sufficiens ratio, cur tanto bono priuaretur: quia reuerentia & decencia sacramenti posset multis alijs modis prouideri; præsertim, si non frequenter potus calicis omnibus daretur, sed raro, aut semel in anno, aut aliquoties in vita. Et hoc modo certius esset, fideles omnes integrè & perfectè implere diuinum præceptum. Cum tamen aliud, vel sit dubium, vel saltem controuersijs & scandalis expositum: ergo expedire potius, vt Ecclesia hanc partem eligeret: nam semper certa sunt præferenda dubijs: & quæ vnionem conciliant his, quæ scandala parere possunt.

Dico primo, esse in Ecclesia potestatem ordinandi, quomodo sit à fidelibus hoc sacramentum sumendum: in vna scilicet, vel duplici specie. Est de fide, ex quo modo, in vna, an duobus specie fideles communicare debeant, docet non potest. Conc. Trid. homo administratos Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, Itemq; colligit ex illo, ad Cor. 11. Cætera autem cum venero disponam. Ex quo eandem potestatem collegit August. epist. 128. c. 6. eandemq; veritatē confirmat traditio & consuetudo Ecclesiæ. Ratio autem moralis est euidentis. Nam erat hæc potestas in Ecclesia necessaria, quia ea, quæ pertinent ad modum dispensandi sacramenta, pro temporum, & circumstantiarum varietate, possunt etiam requirere vsus seu modos diuersos, vel ad fidelium vtilitatem, vel ad sacramentorum venerationem pertinentes: data est ergo Ecclesiæ huiusmodi potestas, sicut ei data est ad alias Ecclesiasticas leges ferendas, & ad ea omnia, quæ ad perfectum regimen Ecclesiæ pertinent. Quod autem sub obiecto huius potestatis contineatur vsus seu modus sumendi hoc sacramentum sub vna vel duabus speciebus, constat ex præcedentibus, quia hoc nõ spectat ad substantiam sacramenti, neq; ad effectum vel vsus eius ex præcepto diuino necessarium, sed

Cccc tantum

Augustinus

tantum ad voluntarium usum, vel (vt ita dicam) arbitrarium. Et in eo potest committi irreuerentia huius sacramenti: ergo est ex his rebus, quae sub praedicta potestate clauduntur.

Valde prudenter ac rationabiliter Ecclesia laicis sacerdotibus, extra ritus, speciei sumptione prohibuit. Conc. Const. Trident.

Dico secundo: Ecclesia vtens hac potestate iam prohibuit usum calicis omnibus, praeterquam Sacerdotibus sacrificantibus, quae prohibitio & valida, & rationabilis, ac prudens fuit. Constat conclusio ex Concilio Constantiens. sess. 13. clarius ex Trident. sess. 21. c. 2. vbi dicit, Ecclesiam consuetudinem communicandi sub vna specie approbasse, & pro lege habendam decreuisse: Ecclesia autem non potest in his, quae ad mores totius Ecclesiae pertinent, errare: neque aliquid iniustum, aut malum praecipere: ergo talis lex est iusta & bona: ergo valide, & obligationem inducens. Quod autem sit etiam prudens & expediens, declaratur, distinguendo duas res, quae ad hanc legem ferendam, Ecclesiam mouere potuerunt: vna dici potest, occasio legis: alia, propria ratio eius. Prior sumpta est ex varijs haeresibus, vt notat Turrianus lib. 8. Constituit. Clementis cap. 13. in principio enim Ecclesiae vsus vnius, vel duplicis speciei, indifferens fuit: & pro reum commoditate alterutro modo fiebat, vt facile ex haecenus dictis intelligi potest: postea vero ad vitandas haereses Manichaeorum, vsus calicis peculiariter commendatur Pontifices, vt section. 1. vidimus: illo vero errore extincto, alius exortus est, negans totum Christum esse sub singulis speciebus: & ideo necessarium esse affirmans, vt utramque speciem sumere, cuius occasione in contrarium extremum declinatum est, vsusque vnius speciei panis magis ac magis propagari cepit: hic autem error ex haeresi Berengarij confirmatus necessario fuit: quia, si Christus non esset realiter praesens in hoc sacramento, sed tantum, vt in signo, recte sequeretur, nec adesse, nec sumi totum sub singulis speciebus. Quapropter necessarium etiam in ea doctrina fuisset, vt utramque speciem sumere: & hac etiam occasione consuetudo communicandi sub vna specie in Ecclesia Catholica a temporibus Berengarij maxime aucta & confirmata creditur, vt notat VValdenfis tomo 2. de sacrament. cap. 87. Tandem vero contra haeresis directe reprehendens communionem sub vna specie: & in huius haeresis detestationem Ecclesia Catholica hanc consuetudinem magis ac magis amplexa est, & ex hac ipsa occasione sumpsit aliquam causam probandi & retinendi hanc consuetudinem, nimirum, ad detestandos errores, & scandala vitanda. Accessit vero propria ratio, quae per se mouit Ecclesiam ad consuetudinem hanc lege stabilendam, & contrarium usum interdicendum: quia per hoc nihil commodi, vel vtilitatis fidelibus admittitur, multum autem reuerentiae & venerationis sacramento ipsi prouidetur.

Turrian.

Mortua ob qua Eucharistia vna bina speciei modo laici utitur, sa modo denegata est.

Primum constat ex supra tractatis de effectibus huius sacramenti, vbi ostensum est primum, nullum effectum formaliter diuersum conferri per speciem vnius: qui per speciem panis non datur: deinde, stante aequali dispositione ex parte recipientis, tantam gratiam dari per vnam speciem, quantum per utramque simul sumptam. Quod autem propter usum vtriusque speciei existimetur futura maior deuotio, & dispositio ex opere operantis ipsorum recipientium, id, & gratis dictum est, & est omnino per accidens: & compensari praeterea facile potest diligentia ipsorum fidelium & maiori frequentia huius sacramenti in vna & eadem specie. Propter quam rationem etiam in superioribus dicebamus, quod licet verum esset, dari maiorem gratiam per duas species, quam per vnam, nulla fieret iniuria fidelibus, priuando illos vsu calicis: quia diligentia & maiori frequentia Eucharistiae sub specie panis possent facile totum illum fructum gratiae recuperare. Secunda pars constat, quia hoc modo vitat Ecclesia omne periculum effusionis sanguinis, quod moraliter vix posset cauere in

Ratio ob qua nunc simplex Eucharistia species vnius concedatur.

tanta hominum frequentia & multitudine, & praefertim eo tempore, quo religionis deuotio adeo tepida est, res sacrae ita negligenter tractantur. Secundo, vt possit vinum in parua quantitate decentius consecrari: neque necesse sit, illud ad consecrationem iterare, quod fieri non posset sine periculo corruptionis. Tertio accedit congruentia, vt communis plebs fidelium assuecat ponere deuotionem suam in Christo sub speciebus contento magis, quam in vna vel duabus speciebus ipsum continentibus. Quae rationes maxime procedunt, vt saepe dixi, post magnam multiplicationem Christiani populi, & vniuersae remissionem.

Rationes dubitandi ex dictis fere solute sunt. Ad primam enim respondendum, Christum non dedisse laicis ab solutum ius vtendi vtraque specie, quali possit uti uolendo, vt quoties peterent, hoc autem ius voluit esse subordinatum Ecclesiae, quoad modum, & alias circumstantias in ipso vsu seruandas. Et ideo non est simile, quod ibi asseritur de Extrema vntione & confirmatione: quia ibi priuarentur fideles vsu talium sacramentorum: hic autem non priuantur vsu, sed adhibetur modus seruandus in ipso vsu: quia sacramentum in vna vel duabus speciebus, idem sacramentum est, & eandem virtutem ac substantialem perfectionem habet. Ad secundam rationem iam declaratum est, quomodo expediat huiusmodi lex seu prohibitio. Nec fuit conueniens, aliquam moderationem in huiusmodi prohibitione adhibere, tum quia nulla erat necessitas, vt dictum est: tum etiam, quia licet in deo possent diminui incommoda, non tamen tanta difficultas auferri: tum denique quia, si hoc committeretur arbitrio dispensantium, vel deuotioni summentium multa possent per imprudentiam fieri: autem m fieret perfonarum delectus, oriri possent vel scandala, vel schismata, aut querimoniae: si vero certa tempora & rariora determinarentur, in eis fortasse concurreret maiori seruire tota fidelium multitudo: & non esset maius periculum alicuius irruerentiae: & praeterea maxime deberet concedi in artic. mortis, in quo magis potest esse effusionis periculum. Actendum hoc modo debuerunt haereticorum ora penitus obturari.

Ex quibus principijs illa frequens dubitatio decidenda est, an expediat in hac lege dispensare cum aliquo regno, vel personis. Quamdiu enim hoc petunt persistentes in errore, tanquam si necessarium sit ad salutem, nullo modo concedendum est: cum, quia esset, virtute confirmare errorem: tum etiam quia esset sanctum dare canibus: quia talis gens indispota esset ad vsus huius sacramenti: vnde referunt auctores citati in principio sectionis praecedentis, & Ruard. art. 25. Paulum II. dispensasse cum Bohemis sub conditione, vt ab errore discederent, ipsi autem semper sentientibus, utramque speciem esse necessariam, dispensatio locum non habuit. Vnde fit, vt remoto errore, possit Ecclesia hoc concedere, vt de Paulo III. dictum est, & refert Gaspar Calafani libro 3. de cena & de calice Domini, cap. 2. & de Clemente VI. refertur, hoc concessisse Regi Galliae anno 1341. quia, cum tota haeresis sit in iuris Ecclesiastici, per supremam Ecclesiae potestatem dispensationem recipit: nunc autem pensatis omnibus, vix potest hoc expedire, & ad vitandum scandalum, & haereticis omnem occasionem pernicitiae auferendam, & propter maiorem fidelium vniorem & confortatam. Quod tamen non obstat, quod si in aliquo casu consuetudo obtinuit, vt alicui datur vtraque species, talis consuetudo seruetur, vt Roma est consuetudo, vt Diaconus, qui in missa solemni ministrat Pontifici, sub vtraque specie communicet. Quam tamen in eadem praetermissam esse a Paulo III. in odium Hussitarum, & Bohemorum, refert Turrianus.

aut illi fiat irreuerentia: solum ergo cauendum est scandalum, & procurandum, vt maxima reuerentia adhibeatur.

QVÆSTIO LXXXI.

De modo, quo Christus vsus est hoc sacramento, in quatuor articulos diuisa.



Einde considerandum est de vsu huius sacramenti, quo Christus vsus est in prima sui institutione.

Et circa hoc quaruntur quatuor.

Primò, vtrum Christus sumpserit suum corpus & sanguinem.

Tertiò, quale corpus sumpserit aut dederit, vtrum scilicet passibile vel impassibile.

Quartò, quomodo se habuisset Christus sub hoc sacramento, si fuisset in triduo mortis reueratum, aut consecratum.

Qvæstio hæc solum per occasionem hoc loco est à Diuo Thoma interposita: omnia vero, quæ in ea tractantur, fere pertinent ad institutionem huius mysterij declarandam, prout à Christo Domino rescripta sunt, declarando primam institutionem huius mysterij in ratione sacramenti, partim addentur inferius, tractando de institutione eiusdem mysterij in ratione sacrificij. Et ideo ne institutam seriem disputationum interrumpamus, hic solum circa literam Diui Thomæ, si quid occurrerit, annotabimus.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sumpserit suum corpus & sanguinem.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christus non sumpserit corpus suum & sanguinem. Non enim factus est Christus, & dicitur asseri debet, quod auctoritate sacra Scriptura non traditur. Sed in Euangely non habetur, quod Christus corpus suum manducauerit, aut sanguinem suum biberit. Non ergo est hoc asserendum.

2. Preterea, nihil potest esse in seipso, nisi forte ratione partium: prout scilicet vna pars eius est in alia, vt habetur 4. Lib. 4. sent. Physic. Sed illud, quod manducatur & bibitur, est in manducante, & bibente. Cum igitur totus Christus sit sub vtraque specie sacramenti, videtur impossibile fuisse, quod ipse sumpserit hoc sacramentum.

3. Preterea, duplex est sumptio huius sacramenti, scilicet, spiritualis, & sacramentalis. Sed spiritualis non competeat Christo (quia nihil à sacramento accepit) & per consequens nec sacramentalis, quæ sine spirituali est imperfecta, vt supra habitum est. Ergo Christus nullo modo hoc sacramentum sumpserit.

Sed contra est, quod Hier. dicit ad Lesbiam, Dominus Iesus Christus, ipse conuiuia, & conuiuium: ipse comedens, & qui comeditur.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt: quod Christus in cena corpus & sanguinem suum discipulis suis tradidit, non tamen ipse sumpserit. Sed hoc non videtur conuenienter dici: quia Christus ea, quæ ab alijs obseruanda instituit, ipse primitus obseruauit. Vnde & ipse prius baptizari voluit, quam alijs Baptismum imponeret, secundum illud Actuum 1. Capie Iesus facere, & docere. Vnde & primo ipse corpus suum & sanguinem sumpserit, & postea discipulis sumendum tradidit. Et hoc est, quod Ruth. 3. super illud. Cumq; comidisset & bibisset, & c. dicit Gloss. quod Christus comedit & bibit in cena. Gl. ord. ibi.

Turrian. Aug. Pat. Tert. Ill. Claud.

Pat. Comest.

Dabitiam.

Sit.

Risposio.

Com. Telet. XI.